



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate, de
Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non
Dissertationem Theologicam de Probabilitate

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

§. V. Alia Vvendrochii argumenta solvuntur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78232)

Supplemento qu. 67. art. 3. docet probabiliter dici posse, sub lege Moyli licitum fuisse exemptionem divinam repudiar uxorem, quod etiam asserunt Scotus, Durandus, Paludanus, & alij antiqui Theologi in 4. Sentent. dist. 33. ubi docent in dissolubile matrimonij vinculum divina lege initio fuisse institutum; in hac deinde per Moysen, Dei jussu, ad majus malum vitandum, fuisse dispensatum, seu indultum, ut hoc vinculum propter graves aliquas causas dissolvi posset; ac denique à Christo in nova lege indultum illud repudij abrogatum ac revocatum fuisse.

266 Errat etiam hic Author, dum confundit opinionem probabilem falsam cum opinione erronea. Prima enim illa est, quæ licet re ipsa veritatem non attingat, & ei consona non sit, probabiliter tamen rationi seu verisimilitudini nititur: secunda verò probabiliter rationi vel auctoritati non nititur, sed communi Ecclesiæ testimonio, vel SS. Patrum traditioni repugnat. Unde Theologi in tractatu de fide distinguere solent inter propositionem falsam, temerariam, erroneam, & hæreticam.

267 Tertulliani locus de spectac. cap. 20. non multum urget: facile enim responderetur, nunquam excusari quod Deus damnat, quando scienter & voluntarie fit; secus verò, si ignoranter & involuntario fiat: Deus enim damnat accessum ad uxorem alterius, illeque lege naturali prohibitus est; ignorans tamen invincibiliter non esse suam, excusatur apud Deum, ut patet in Jacob quando primò accessit ad Liam. Idem cum proportione dicendum de eo qui operatur ex opinione probabiliter falsa, & legi divinæ contraria, quam invincibiliter credit esse veram, & legi divinæ conformem: nam licet faciat aliquid illicitum absolute & secundum se, ratione tamen ignorantia invincibilis, quæ ut supra ostendimus, tollit rationem voluntarij, excusatur apud Deum.

Locus etiam D. Bernardi ad rem non facit, nec militat contra nos, qui asserimus hominem, semper teneri eligere id quod probabilius, & veritati conformius seu vicinius ipsi apparet, sed solum contra recentiores Casuistas, affirmantes posse eligi sententiam minus probabilem in concursu probabilioris: qui enim sic operatur, non habet in electione veritatem, cum non eligat, sed rejiciat id quod ipsi videtur conformius aut vicinius veritati, ut supra art. 2. §. 2. ponderatum est.

§ V.

Alia Wendrochij argumenta solvuntur.

268 POSTQUAM Wendrochius Scripturæ & SS. Patrum testimoniis dogma illud, quo asserit nullam opinionem probabilem falsam excusare à peccato, etsi ejus falsitas invincibiliter ignoretur, probare conatus est, Theologicis argumentis illud nititur fradere sect. 2. §. 3. ubi primò sic arguit. Sine gratia nullum opus bonum fieri potest: Sed nunquam gratia est sine cognitione veritatis, & nunquam veritas cum opinione probabiliter falsa: Igitur ex opinione probabiliter falsa nullum opus bonum fieri potest.

269 Deinde sic ratiocinatur: Peccatum, juxta D. Augustinum & S. Thomam, est factum, dicitur, concupitum contra legem æternam: Sed opus factum ex opinione probabiliter falsa ab æterna lege dissidet: Igitur tale opus peccatum est. Unde Augustinus serm. 44. de diversis cap. 6. ait quod nisi homo secundum iustitiam regulam direxerit actus suos, in errorem iniquitatis impingit; & D. Thomas. 2. 2.

A qu. 19. art. 4. docet bonitatem voluntatis pendere ex lege æterna. Ex quo sequitur voluntatem, cum æternæ lege pugnantem, bonam non esse, ac prout de pravam esse.

Tertio arguit ex verbis illis Apostoli ad Roman. 14. Quod non est ex fide, peccatum est, quod de vera & Christiana fide D. Augustinus & S. Bernardus intelligunt; aut si de conscientia accipiantur, ut vult S. Thomas, certè de conscientia intelligendum est quam dirigit fides, ut idem significat: unde cum opus procedens ex opinione probabiliter falsa, non sit ex fide, nec ab ea detigatur, peccatum est.

B Denique objicit: Si opinio probabiliter falsa, ratione ignorantia invincibilis, à peccato excusaret, sequeretur quod merè opinantium melior esset conditio, quam eorum qui veritatem cognoscunt; illi enim excusarentur à peccato, non verò isti: Sed hoc videtur absurdum. Ergo & illud.

Hæc sunt præcipua Wendrochij fundamenta, quæ si quid probant, ostendunt non solum non licere sequi opinionem probabilem, sed nec probabiliorum, inò nec probabilissimam, cum contingere possit, ut supra dicebamus, quòd opinio probabilissima sit falsa, & legi æternæ contraria: unde hæc argumenta contra ipsum militant, & ab eo solvenda sunt: cum ille sect. 4. §. 1. expressè doceat, è duabus opinionibus contrariis licere amplecti probabiliorum: videat ergo quomodo tela projecta in ipsam projicientem redeant. Hoc præmillo.

Ad primum argumentum respondeo negando Majorem, & Minorem: utraque enim propositio falsa est, & à communi Theologorum sensu aliena. In primis falsum est, sine gratia nullum opus bonum fieri posse: licet enim sine illa non possit fieri ullum opus bonitate supernaturali, & meritoria vitæ æternæ, potest tamen sine illa elici opus bonum bonitate morali naturali, seu opus honestum & rationi consonum, v. g. colere parentes, subvenire egenis, deligere amicos &c. ut expressè docet S. Thomas qu. 24. de verit. art. 14. ubi querit, Num libere arbitrium possit in bonum, sine gratia: Respondet, Quod nulla res agit ultra suam speciem: sed secundum exigentiam suæ speciei unaqueque res agere potest, cum nulla res propria actione determinatur. Est autem duplex bonum; quoddam quod est natura humane proportionatum; quoddam verò quod excedit humane nature facultatem: prout iste actus, qui est dare elemosinam, est bonum proportionatum virtuti humane, secundum quod ex quadam naturali dilectione vel benignitate homo ad hoc movetur, excedit autem humane nature facultatem, secundum quod homo ad hoc inducitur ex charitate, quæ mentem hominis Deo unit. Ad hoc ergo bonum, quod est supra naturam humanam, constat liberum arbitrium non posse sine gratia: quia per hujusmodi bonum homo vitam æternam meretur; constat autem quod sine gratia homo mereri non potest. Illud autem bonum, quod est nature humane proportionatum, potest homo per liberum arbitrium explere. De quo plura contra Barjum & Janfenium dicemus in tractatu de gratia.

D Thomas qu. 24. de verit. art. 14. ubi querit, Num libere arbitrium possit in bonum, sine gratia: Respondet, Quod nulla res agit ultra suam speciem: sed secundum exigentiam suæ speciei unaqueque res agere potest, cum nulla res propria actione determinatur. Est autem duplex bonum; quoddam quod est natura humane proportionatum; quoddam verò quod excedit humane nature facultatem: prout iste actus, qui est dare elemosinam, est bonum proportionatum virtuti humane, secundum quod ex quadam naturali dilectione vel benignitate homo ad hoc movetur, excedit autem humane nature facultatem, secundum quod homo ad hoc inducitur ex charitate, quæ mentem hominis Deo unit. Ad hoc ergo bonum, quod est supra naturam humanam, constat liberum arbitrium non posse sine gratia: quia per hujusmodi bonum homo vitam æternam meretur; constat autem quod sine gratia homo mereri non potest. Illud autem bonum, quod est nature humane proportionatum, potest homo per liberum arbitrium explere. De quo plura contra Barjum & Janfenium dicemus in tractatu de gratia.

E Similiter falsum est quod addit Wendrochius, nempe gratiam nunquam esse sine cognitione veritatis, & ardore charitatis: tum enim ignorantia inculcata & invincibilis juris saltem politivi excuset à peccato, ut ipse fatetur sect. 3. §. 7. stare potest cum gratia habituali & sanctificante, quæ solum per peccatum expellitur. Similiter

per etiam dari potest gratia actualis sine charitatis ardore, ut patet in attritione concepta ex metu gehennae; illa enim procedit à gratia auxiliante, & justificationem praevenerit, sive ut loquitur Tridentinum, à Spiritu Sancto nondum inhabitante animam, sed eam movente ac disponente ad justificationem in sacramento obtinendam: unde perperam Adversarius falsum illud dogma Tridentino affingit. Malè etiam usurpat illud quod Ecclesia de Spiritu Sancto canit: *Sine tuo numme nihil est in homine, nihil est innoxium: sensus enim in hominem sine auxilio Spiritus Sancti, vel generali, vel speciali, vel ordinis naturalis, vel supernaturalis, nullum opus bonum & honestum posse efficere, nec ullam veritatem etiam naturalem agnoscere; non verò per hoc significatur, hominem indigere gratia sanctificante, vel speciali ac supernaturali Spiritus Sancti auxilio, ad opera bona & honesta ordinis naturalis elicienda, & veritates naturales cognoscendas.* Unde D. Thomas 1. 2. qu. 109. art. 1. ad 1. exponens haec verba Apostoli 1. ad Corinth. 12. *Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto.* & ista Ambrosii: *Omne verum à quounque dicatur, à Spiritu Sancto est, sic ait: Dicendum quod omne verum à quounque dicatur, est à Spiritu Sancto, sicut ab insudente naturale lumen, & movente ad intelligendum & loquendum veritatem; non autem sicut ab inhabitante per gratiam gratum facientem, vel sicut largiente aliquid habituale donum natura superadditum: Sed hoc solum est in quibusdam veris cognoscendis & loquendis, & maxime in illis quae pertinent ad fidem, de quibus Apostolus loquebatur.* Et super caput 1. Joan. lect. 1. exponens verba illa Christi, *si me nihil potestis facere, subdit: Opera nostri aut sunt virtute nature, aut ex gratia divina: si virtute nature, cum omnes motus natura sint ab ipso Verbo Dei, nulla natura ad aliquid faciendum moveri potest sine ipso: si verò virtute gratia, cum ipse sit author gratiae, manifestum est quod nullum opus meritum sine ipso fieri potest.*

Ad secundum respondeo, quod quando à D. Augustino peccatum definitur *factum, dictum, vel concupitum contra legem aeternam*, hoc intelligendum est de lege aeterna, ut intimata & participata à dictamine rationis, quod est proxima regula actuum humanorum, & quaedam aeternae legis impressio, participatio, & denuntiatio, ut docet S. Thomas 1. 2. qu. 19. art. 4. Unde quando lex aeterna per cognitionem intellectus, seu dictamen rationis homini non intimatur, sed invincibiliter & inculpabiliter ignoratur, seu quando nullum est dictamen rationis actum prohibens, quamvis legi aeternae contrarius sit, non est peccatum formaliter, sed duntaxat materialiter; ut patet in exemplo supra adducto de Patriarcha Jacob, qui non peccavit, cum primò accessit ad Liam, putans esse Rachelem: quia licet ille actus materialiter sumptus, esset difformis legi aeternae, prohibenti accedere ad non suam, non tamen formaliter, defectu cognitionis & dictaminis rationis, ei intimantis & significantis illam non esse suam uxorem. Similiter si quis invincibiliter existimans non esse illicitum mentiri ad tribuendam elemosinam, mentiatur, vel furetur, non peccat; quia nullum habet dictamen rationis huiusmodi actus prohibens, ut dicunt Salmanticenses in tract. de peccatis disp. 7. dubio 1. num. 5. & alij Theologi communiter docent, asserentes de ratione omnis pec-

Tom. III.

cati esse, ut sit contra dictamen rationis, quae est proxima regula actuum humanorum, & idcirco esse peccatum, quia est contra tale dictamen, in qua tanquam in naturali iudicatorio ius naturale continetur, ut loquitur S. Thomas 1. 2. qu. 71. art. 6. ad 4. Unde quando loco in objectione citato docet *bonitatem voluntatis pendere à lege aeterna*, hoc intelligendum est de lege aeterna, ut per divinam revelationem, aut dictamen naturale rationis nobis intimata, sicut patet ex solut. ad 3. ubi sic ait: *Licet lex aeterna sit nobis ignota secundum quod est in mente divina: innotescit tamen nobis; vel per rationem naturalem, quae ab ea derivatur ut propria ejus imago, vel per aliqualem revelationem superadditam.* Similiter cum Augustinus ait: *Nisi homo secundum iustitiae regulam direxerit actus suos, in errorem iniquitatis impingit*, hoc debet intelligi de iustitiae regula, ut per dictamen naturale rationis, aut per lumen supernaturale divinae revelationis, nobis manifestata & intimata: nam si talis intimatio & manifestatio desit, ut contingit in his qui ignorantia invincibili iuris naturalis aut positivi laborant, nulla committitur iniustitia vel iniquitas; quia tunc nulla est legis naturalis aut positivae obligatio; ut enim lex aliqua obliget, prius intimari seu denuntiari debet, ut ex D. Thomas supra ostendimus.

Ad tertium respondeo, quod quando Apostolus ait, *Omne quod non est ex fide, peccatum est, sed non ex fide debet sumi non solum negativè, sed etiam contrariè, ita ut sit sensus, id quod non est ex fide, sed ex infidelitate, peccatum est, ut exponit S. Thomas ibidem lect. 3. in fine, ubi haec scribit: Cùm dicitur opus omne, quod non est ex fide, peccatum est, sic est intelligendum: Omne quod est contra fidem, vel contra conscientiam, peccatum est, etsi ex genere suo bonum videatur; puta si paganus ad honorem suorum Deorum virginitatem servet, vel elemosinas det, hoc ipso peccat.* Unde ibidem subditur: *Quia omnis infideliter vivens, vel agens, vehementer peccat, ut notat idem S. Doctor 2. 2. qu. 10. art. 4. ad 1. ubi eodem modo intelligit & interpretatur haec verba Apostoli.*

Ad quartum nego sequelam, nempe *quod si opinio probabilis falsa, ratione ignorantiae invincibilis à peccato excusaret, merè opinantium, imò & ignorantium melior esset conditio, quam eorum qui veritatem cognoscunt: nam si hic discursus valeret, pariter ego dicerem meliorem esse hominis infirmi quam sani conditionem; quia hic tenetur lege jejunii, à qua ille ratione infirmitatis liberatur. Item melior esset hominis dormientis quam vigilantis conditio, aut ebrii quam temperantis; quia hic in multis peccare potest, quæ licet ille admittat, non peccat.*

Ex his satis patet quam levia & frivola sint fundamenta Wendrochii, & quam parvo negotio veritatis calor frigentium verborum pruinas liquefecerit, ut loquitur Claudius Mamercus lib. 1. de statu animae cap. 11.

Alia huius Authoris augmenta solum ostendunt quodcumque probabile non excusare à peccato, nec ad honestandas actiones humanas sufficere: unde non infirmant, sed potius confirmant nostram sententiam, quæ licet à prudentiae regno, & conscientiae tribunali, omnem probabilitatem non abigat, asserit tamen in rebus dubiis, & opinionum probabilium conflictu, eligi debere probabiliorem sententiam, quæ

Rt 2

stat

stat pro præcepto, & relinquendam esse minus probabilem, faventem libertati. Unde veritas Thomistica inter novorum Casuistarum laxitates, & Janfemianorum excessus media stat, & hoc Phœbi præceptum (dum apud Poëtam, Phaëtonem filium quadrigam suam temere confitenturum commonuit) merito servandum agnoscit:

Alius egressus, caelestia signa cremabis.

Inferis terras, MEDIO TUTISSIMUS IBIS.

Certè si hoc medium servaretur, & opinionum probabilitas cum moderamine illo & temperamento ab omnibus reciperetur, non uniformitas & puritas inter fideles conservaretur facilius; Divina & Ecclesiastica mandata non periclitarentur, brevique tempore (inquit Cravina in suo Cherubim Paradisi) reformaretur mundus qui ex licentia opinandi in præceptis ruit, latissimam viam ingrediendo, quæ ducit ad perditionem. Unde Julius Clemens Scotus de potestate Pontificis in Societatem Jesu, part. 7. folio 365. & Martinez de Prado Tomo 1. Theologiae moralis cap. 15. quæst. ultima, pagina 634. referunt quod R. P. Mutius Vitelliscus, Generalis Societatis Jesu, anno 1617. die 4. Januarii litteris datis ad Superiores ejusdem Societatis, inter

A septemque impense illis commendavit, hoc reponit. Quarto nonnullorum ex Societate sententia (in rebus præsertim ad mores spectantibus) plus nimis libera, non modo periculum est ne ipsam evertant, sed ne etiam Ecclesia Dei univ. se insignia offerant detrimenta. Omni itaque studio perscrutant, ut qui docent, scribuntve, minime hac regula & norma in delectis sententiarum utantur. **TUERI QUIS POTEST. PROBABILIS EST. AUTHORE NON CARET.** Verùm ad eas sententias accedant, **QUE TUTIORES**, quæ graviorum, majorisque nominis Doctorum suffragiis sunt frequentata, quæ bonis moribus conducunt magis, quæ denique pietatem alere, & prodesse queant, non vastare, non perdere. Quoniam verò Constitutiones, Decreta, Regulas probe valent de S. Thoma sequendo, de non prohibendis ad cathedras, aut etiam removendis, qui ejusmodi doctrinam parvi facere, aut cordi non habere præ se ferunt, præsertim si novitatum amantes deprehendantur, qui nulla ratione sunt ferendi: reliquum præterea mihi nihil est, nisi ut hæc ipsa ferrentur, ut maxime res momenti, quàm ardentissimè possum urgere. Utinam hujus sapientissimi Generalis concilii & Decreta ad amissim servarentur: reformaretur mundus, qui ex licentia opinandi in præceptis ruit, latissimam viam ingrediendo, quæ ducit ad perditionem.

